



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Hora VIII. Verbi Divini auditio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

quam sententiam accepturus, ad quem locum alterius vitæ destinandus sim. Ah! moriatur anima mea morte Justorum, & fiant novissima mea horum similia. *Num.* 23. Cùm veneris judicare noli me condemnare.

HORA VIII.

Verbi Divini auditio.

*D*ominicis, festisq; diebus nunquam negligenda verbi Dei auditio: eam enim *mellissimus Doctor serm. 1. in Septuages. inter predestinationis & salutis signa numerat. Qui ex Deo est, verba Dei audit, inquit ipsa veritas. Joan. 8. & S. Chrysoft. hom. 22. in Gen. scribit: quemadmodum corporalis cibi appetitus indicium est bonæ valetudinis; ita desiderium spiritualis doctrinæ, manifestissimum est argumentum animæ benè habentis. Excita igitur in te orem, si eâ careas.*

Praxis audiendi Concionem.

I. *Ante Concionem, animus à vitiis & perturbationibus expurgandus, ut tan-*

quam nitidum speculum imagines à verbo divino per Concionatorem illapsus clarè & perfectè in se recipiat. Deinde excitandum desiderium ex concione proficiendi. Deniq; imploranda Spiritus sancti gratia, ut mentem illuminet, voluntatem emolliat ac permoveat: ac cum Samuele dicendum, Loquere Domine, quia audit servus tuus.

II. Sub ipsâ concione, habitus corporis, vultusq; sit ad attentionem decenter compositus, oculi non vagabundi, sed ad Ecclesiasten conversi: audita non aliis, sed tibi applica, non verborum elegantiam, sed spiritum, non subtilitatem, sed veritatem require, persuasissimum habens Deum per Concionatorem loqui. Qui vos audit me audit. Lucæ 10.

III. A Concione, gratias Deo age pro instructione, & pro viribus audita exequi statue. Quæ audistis cogitate, quæ manducastis ruminare: sic enim eritis animalia munda, ait S. August. Conc. 1. in Psal. 103. Exemplo B. M. V. quæ conservabat omnia verba hæc in corde suo. Beati, ait Dominus, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Lucæ 11.

Modus

Monita & Documenta

Pro Concionatoribus.

I. Lecto Evangelio, de quo concionandum, templum adî, Christumq; Eucharisticum tanquam Consiliarium optimum consule, ac demissè roga, ut inspirare dignetur, quid Auditoribus tuis utilissimum, quidve à te Populo proponendum desideret.

II. Ubi thema selegeris, conceptum formaveris, variaq; ad rem collegeris & distribueris; interroga te quo collineas? quid intellectui Auditorum cogitas persuadere? quem affectum excitare in voluntate? quid vis ut deinde auditor agat, aut vitet? quibusve hac mediis assequi paras? hac in tota compositione semper sint ante oculos posita.

III. Propositum tuum solidis & claris rationibus proba, quæ potissimum è sacris literis desumenda, SS. Patrum testimoniis confirmanda & declaranda: additis etiam causis & motivis efficacibus, similibus, parabolis, uti Christo Domino in more positus

tus

sum, & exemplis praesertim sacra Scriptura. Ut intellectus Auditorum plene convincatur, iudicetq; rem ita se habere, nec posse aliter esse.

IV. Persuasio & convictio intellectus, affectus vehementes subjunge. jam amoris & prosecutionis boni, jam timoris, odii & fuga, aliosve accommodatos materia, ut Auditorum voluntates ad faciendum vel omittendum inflammentur.

V. Nunquam imparatus cathedram conscende, sed omni diligentia te ad dicendum para. Qui sine labore ascendit, sine honore & fructu ordinariè descendit.

VI. Materiam Auditoribus aptam & ad captum selige: ac de materia proposita saepius meditare: solet enim tunc Deus aperta ad intellectum illuminandum, vel voluntatem permovendam suggerere: affectum verò in auditoribus excitandum prius in te suscita: quod & Ciceroni aliisque antiquis Oratoribus, usitatum fuisse, cum felici successu legitur.

VII. Exhortare praecipuè ad agendam vitam homine Christiano dignam: ad vitia extirpanda, ad virtutes inserendas, ad

Pani-

penitentia & Eucharistia frequentem
usum, ad opera bona, orationem,
iunium, eleemosynam, aliaq; pietatis
exercitia zelosè & ferventer excita; se-
ssimè nonnihil de quatuor novissimis &
ternitate intermiscens, quo nihil ad mo-
um solet esse efficacius.

VIII. Stude esse instrumentum cum
Deo conjunctum per puram intentionem,
per familiaritatem cum Deo in oratione;
& conare ipse exercere virtutes, quas ali-
is commendas, & vitia extirpare, quæ
illis dissuades. Nam turpe est Doctore,
cum culpa redarguit ipsum.

IX. Habitus & gestus corporis sit mo-
destus & gravis, vox rebus accommodata:
inter docendum sedatior, inter movendum
ad affectus concitator: atq; ubi non est
opus, non nimis elevetur, aut deprimatur.

X. Abstine à rumoribus, & novis pa-
rum certis in consione narrandis; uti &
facetiis & ludicris risum moventibus:
neque minús à verborum lenociniis, ver-
bis affectatis, adulatoriis, & exaggeratio-
nibus nimis: ac denique à reprehensio-
nibus Principum, Prelatorum, ac Magi-
stra-

stratum in particulari, nisi cautè & valde prudenter: has enim plus obesse quam prodesse docet experientia. Tu formare poteris majorem & universalem, illi ipsi minorem & particularem subsument.

XI. Spem omnem & fiduciam in Deo colloca, hominibus placere ne quare, vanam gloriam fuge, soli Deo honorem tribue: si fructus labori non respondeat, animum ne desponde: Deus premium tuum meretur labore, non fructu qui ab ipso solo dependet.

XII. Ipso denique die vel pridie Concionis aliquod mortificationis aut pœnitentia opus Deo offer, pro fructu impetrando: aliquod temporis spatium orationi tribue ad spiritum excitandum: toto etiam preparationis tempore sepe ad Christum in Eucharistiâ recurre: suspira per diem sepius ad Deum, ad B. V. ad SS. Angelos Custodes Auditorum; gratiamq; efficaciter dicendi exora: Pete & accipies, quæro & invenies, pulsa & aperietur tibi: alioquin nihil eris nisi cymbalum tinniens & as sonans.

HORA